



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cl. Viri Valerii Andreae Desselii In Academia Lovaniensi
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

Andreas, Valerius

Coloniae, 1697

II. De cohabitatione Clericorum & mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62934)

De cohibitione Clerico-
rum & mulierum.

TIT. II.

Clericorum propria & præcipua virtus est continentia & castitas, quæ ut illibata seruetur, & suspicio mali omnis absit, prohibetur hic, ne Clerici cum mulieribus habitent.

An neque cum Matre, avia, matertera, amica vel sorore?

Nequaquam; quia in talibus personis naturale fædus nihil permittit *c. pen. h. t.* sævi criminis suspicari. Nisi & illæ de vita lubrica suspectæ sint, ut permitti non debeant cum Clericis, nepotibus vel fratribus morari.

Clerici concubinarij vel fornicarij quâ panâ affiendi?

Tales si notorii fuerint ab Ordinibus ipso jure sunt suspensi. Cum suspectis verò mulieribus versantes, si moniti ab Episcopo concubinas non deserant, suspendendi sunt a beneficiis suis, *c. 4. h. t.* & correctione non secuta deponendi, & sacrifque exuendi Ordinibus. *c. 6. eod.*

H 6

Quis

Quis dicendus notorius fornicator?

e. ult. eod.
c. tua nos
s. eod.
 Qui vel palam in jure fornicationem suam confessus est, vel talis esse legitime est probatus, vel sententia iudicis condemnatus; quod vocant notorium juris; vel denique cujus crimen est publicum per evidentiam rei, ita scilicet ut nulla possit tergiversatione celari, quod vulgò appellant notorium facti.

De Clericis conjugatis,

TIT. III.

An Clericis permittendum uxores ducere?

e. 2. h. t.
e. 3. eod.
Aut Clerici sacris sunt Ordinibus initiati, & prohibentur uxores ducere: heino enim admittitur ad sacrum Ordinem, nisi qui castitatem voverit, aut in minoribus Ordinibus sunt constituti, & non prohibentur matrimonium contrahere: ut tamen beneficium si quod habuerint, statim ducta uxore amittant.